



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

3 An confessarius sollicitans foeminam, vel virum ad actus venialiter
inhonestos, denunciandus sit sub graui culpa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

nessej, lib. 12. q. 2. n. 23. Ioan. Salas de legib. tract. 14. disp. 21. sect. 4. n. 20. Cum ergo constitutio de sollicitantibus feminas loquatur, & favorabilis sit sacramento, ad viros sollicitatos extendenda est. Et confirmo. lex privilegium, & qualibet alia dispositio extendenda est ad causam, ubi est eadem, & maior ratio secundum facis probabilem sententiam, ut optime probat Rebellen 1. lib. de obligat. inst. q. 6. sect. 4. aliis relatis Salas de legib. tract. 14. sect. 5. à num. 11. Ioan. Sanchez disp. 11. sect. 2. n. 12. qui varios casus in confirmationem huius principij adducunt. Cum ergo huiusmodi constitutio maiori ratione procedat in sollicitantibus viros, quam feminas, cum delictum grauius sit, & eisdem rationis, efficitur sane esse ad huiusmodi crimen extendendam. Neque obstat bulla, & edita Inquisitorum tantummodo loqui de sollicitantibus feminas. Nam feminae exempli gratia appositae fuerunt, legesque attendunt ad ea, quae frequentius contingunt, eaque prohibent nominati in l. nam ad ea. ff. de legib. & per hanc patet responsio ad rationem dubitandi in contrarium adductam.

PUNCTUM III.

An Confessarius sollicitans feminam, vel virum ad actus, solum venialiter inhonestos, denunciandus sit sub graui culpa.

- 1 Affirmant aliqui.
- 2 Venialia peccata contra castitatem non sunt mortalia, tametsi in sacramento fiant.
- 3 Non obligatur sub graui culpa sic sollicitantem denunciare, quando constat penitentem de animo confessarij.
- 4 Satis est contraria rationi.

1 Ioan. Sanch. disp. 11. sect. 2. n. 22. cum Serephino à Freytag quaest. 7. num. 33. affirmat. Mouetur, quia tangere manum, vel mamillas feminae, digitos intorquere, vellicare in genere castitatis, peccata venialia sunt, quando ob solam delectationem absque viceriori fine, vel periculo pollutionis habentur, ut aliis allegatis docet Thom. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 45. n. 1. 16. Salas 1. 2. tom. 2. q. 64. tract. 13. disp. 6. sect. 20. n. 146. et sect. 21. n. 149. Freytag 7. n. 28. At si haec fiant in confessione ante, vel post immediatam, peccata mortalia sunt contra religionem ob indecentiam sacramento factam, sicut intra genus temperantiae leue peccatum esset modicum cibi sumere, et in ratione sacrilegij grauisimum esse, si illo sumpto ad Eucharistiam accederes.

2 Verum non caret difficultate haec doctrina. Nam ex iure naturali, & diuino peccata de se venialia in materia castitatis, eo quod fiant in sacramento Penitentiae, non redduntur mortalia contra religionem: aliis quodlibet peccatum veniale in materia iustitiae, humilitatis, & patientiae, factum in sacramento Penitentiae esset mortale sacrilegium, quod nemo concedit: cum reque iure naturali & diuino omnia prohibeantur. Restat ergo ut ex iure positivo haec prohibitio oriatur. At ex supradictis decretis Pij IV. Clementis VIII. & Gregorij XV. non fit aliqua specialis prohibitio de peccatis venialibus, sed solum prohibetur id quod de se malum, & inhonestum est; imò quia malum, & inhonestum est, idem prohibetur. Ergo si solum est malum, & inhonestum in ratione peccati venialis, in ratione peccati venialis prohibetur ob religionem. Sicut cum prohibetur percussio clerici ob reuerentiam ordini debitam, non prohibetur quilibet leuis percussio sub graui culpa, si leue sit; quia haec omnia prohibentur, quia mala sunt, & consequenter eo modo quo mala sunt, eo modo ob reuerentiam sacramento prohibentur. Adde, ex supradictis decretis Pontificum nequaquam colligi potest eos interdixisse, veniale contra castitatem, fieri mortale contra religionem; imò potius contrarium non leuiter colligitur. Nam in Bulla Pij IV. dicitur sacerdotes denunciandos esse, qui mulieres penitentes ad actus inhonestos prouocant, & loco reconciliationis cum Deo grauiori peccatorum mole onerant, & in manibus diaboli tradunt. Quae verba necessario respiciunt actus inhonestos, qui peccata mortalia sunt: nam per venialia nec traduntur in manibus diaboli, nec grauiori mole onerantur. Clemens verò VIII. nihil aliud fecit, quam renouare supradictum decretum. Gregor. verò XV. in sua constitutione vocauit impium hoc, ac nefarium scelus, & illud facientem infernalem, veneficum, & proditorem execrabilem, quae cum inductione ad peccatum veniale nequaquam videntur coherere.

3 Propter haec non improbabile videri potest, si sacerdos penitentem tractibus aliis honestis tangat, qui ex circumstantiis solum peccata venialia fiant, & ipse penitens intelligat sacerdotem nullo modo habere animum viceris progrediendi, neque penitens periculum consentiendi in graue crimen, non committit peccatum mortale contra religionem; sicut neque contra castitatem, neque fore denunciandum sub graui culpa. Verum si ex circumstantiis colligeretur animus sacerdotis viceris progrediendi, censenda esset talis sollicitatio grauis, quia sufficienter praesumit penitens ad graue crimen sacerdotem voluisse ipsam

inducere.

4 Ad rationem in contrarium respondeo, illa quae secundum se peccata sunt venialia, vel nulla peccata, posse fieri peccata mortalia in materia religionis: ut in exemplo adducto, de cibo sumpto ante Eucharistiam. Sed hoc est quando non prohibetur qua ratione in se mala sunt, sed solum ob reuerentiam factis debitam. Ac quando solum prohibentur, qua ratione mala sunt ne fiant in sacramento, sequuntur naturam, quam habent. Unde si peccata venialia sunt in ratione iustitiae, vel castitatis, peccata venialia sunt in materia religionis: si verò mortalia, peccata mortalia sunt in materia religionis.

PUNCTUM IV.

An si penitenti tribus in confessione chartam postea legendam, in qua ad Venerem chartas, censuris sollicitator in confessione, ac proinde denunciandus, & puniendus.

- 1 Placet alicui sic esse affirmandum.
- 2 Proponuntur rationes in contrarium.
- 3 Videtur ob illas pars negans probabilis.

1 Videntur absolute affirmandum, quia traditio illa chartae est incepta sollicitatio, & negati non potest per illam iniuriam fieri sacramento: si quidem tempore quo monendus erat penitens de mutatione vitae in melius, instrumentum tradatur ei, quo sauetur. sic Ioan. Sanch. disp. 11. sect. 2. n. 31.

2 Sed obstat primo, quia talis chartae traditio est solum causa sollicitationis, non vero sollicitatio. Non enim tunc quando traditur charta, mouetur penitens ad malum, ut suppono. Ergo tunc non sollicitatur: sollicitatio namque est inductio, & motio voluntatis alienae: cum autem non mouatur penitens voluntas in confessione, sed extra, quando scilicet legit chartam offertur in confessione non fuisse factam sollicitationem, ac proinde non fore ex obligatione denunciandum. Confirmo, ut Sacerdos subiciatur poenis contentis in Bullis aduersus sollicitantes, requiritur ut delictum sollicitationis, in ratione sollicitationis completum: sicut requiritur homicidium completum, ut irregularitas homicidij contrahatur, & percussio clerici, ut excommunicatio liget, neque sufficit causam dedisse his delictis. Cum igitur in traditione chartae non fit sollicitatio completa, imò neque sollicitatio, non erit Sacerdos sic peccans denunciandus, & puniendus ex rigore decreti inquisitionis.

Secundo finis praecipue intentus in Bullis aduersus sollicitantes non procedit in hoc casu. Finis enim est, ne penitentes loco reconciliationis grauioribus peccatis onerentur & loco medicinae venenum eis propinetur. At in supradicto casu cessat hic finis, cum absolute per confessionem penitens cum Deo reconciliatur, & medicina, & non venenum ei propinetur cui reconciliationi, & medicinae charta tradita non obstat. Et explicio hoc exemplo. Si enim chartam anatoriam tribueres penitenti dandam alteri personae legendam, quamque velles prouocare ad malum, quis diceret te venenum in confessione huic penitenti propinasse, cum ipse ignarus sit, quid charta continet, neque obinde impeditur ad reconciliationem cum Deo: Ergo similiter dicendum videtur, quando charta traditur penitenti legenda ab ipso, quia vique dum legit non propinat illi venenum. Item talis actio prout est facta in confessione indifferens omnino est in foro externo, neque ab alio quam a tradente malitia eius cognoscitur. Ergo non venit denuncianda. Solum enim actus, quae mala apparet in sacramento, quaeque penitentem in sacramento maculare potest, denuntiari debet.

3 Haec rationes probabilem videntur reddere partem negantem, talem scilicet traditionem chartae non esse sollicitationem comprehensam in Bullis, si charta non immediate post susceptum sacramentum legatur, sed transacta iam tempore. Verum quia hoc delictum grauisimum, & perniciosissimum est, praecaveri debet, & coerceri omnis occasio illud committendi.

PUNCTUM V.

Explicantur aliqui casus, in quibus dubium est, an interueniat sollicitatio comprehensa in Bullis.

- 1 Si feminam incites, ut alium in copulam admittat, denunciandus es.
- 2 Si sollicitus, ut mediet, esto probabile aliquibus videntur non fore denunciandum ex decreto Clementis. At probabilis sensus oppositum.
- 3 Si femina sollicitus ad Venerem, & tu renuas contentum tractibus, aliqui existimant te esse denunciandum.
- 4 Verius sensus oppositum.

Primo.